



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

c [i.e. iii]. Sola bonitas est vis causativa finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

causativa finis; & dum dicitur bonitas ut re
præsentata movet, non reduplicatur vis cau-
sativa, sed conditio, ut fit, dum dicitur: ig-
nis ut approximatus calefacit. Neque ob-
stat, primò, quod cognitio sit existentia in-
tentionalis finis; quia sola existentia physica
(quæ repræsentatur ut obtinibilis) identifi-
cata entitati causæ est vis ejus causativa. Ne-
que secundò, quod solâ cognitione muta-
tâ nunc actus voluntatis producatur remil-
sior, nunc intensior, nunc liber, nunc neces-
farius; nam & mutata approximatione ig-
nis, alius & alius est ejus effectus: insuper,
cum voluntas non feratur in objectum, nisi
ut cognitum, illudque possit clarè vel minus
clarè cognosci, mirum non est, ex inde muta-
ti volitionem, quamvis non formaliter in-
trinsicè, ut fit à diverso tendendi modo.

III. Sola itaqùe bonitas est ratio formalis
seu vis causativa finis; illa enim sola attrahit
voluntatem; malum autem est veluti termi-
nus, à quo dum voluntas recedit per odium,
formaliter simul accedit ad bonum, cum non
dentrur actus puræ fugæ; sive non fugiat
malum nisi propter bonum, ita ut tales actus
fugæ pro objecto materiali & termino à
quo

quo habeant malum, pro formalī & termino ad quem ; bonum : qua ratione fugimus dolores propter bonitatem , quæ est in eorum carentia, quæ bonitas non semper est absoluta & transcendentalis seu proprietas entis, sed quandoq; respectiva tantum, qualis etiam in est negationibus. Et quidem solum bonum per se, id est, honestum & jucundum potens est finalizare , utpote quod solum amatur propter se, utile autem quā tale semper appetitur propter aliud, adeoq; finis proximus ut de facto ordinatur ulterius , non finalizat. Bonum tamen tantum apparet potens est finalizare, uti sit, dum quandoq; impossibilia ut possibilia, & quæ honesta non sunt, repræsentata ut honesta movent ad amorem sui : & sic oriri potest finaliter causalitas finis à principio, quod à parte rei non est reale, reprætentatur tamen ut reale, finis enim non causat secundum realem , sed intentionalem existentiam. Observandum autem hīc primò, bonitatem ut apparentem , sive reflexè cognitam ut tantum apparentem non posse finalizare. Secundò bonitatem motivam & primariam finis semper esse realem & possiblem , quamvis objectum secundarium &

materiale, quod est subjectum, cui ista bona
tas inesse creditur, possit esse non reale.

IV. Causalitas finis respectu actuum à
voluntate elicitorum est physica istorum
actuum productio, quæ, quatenus recipitur
in voluntate, est causalitas causæ materialis,
quatenus efficitur ab eadem voluntate, est
causalitas causæ efficientis, quatenus verò sit
gratiâ finis, est finalizatio seu causalitas finis:
& licet finis fortè in actu primo sit primus
inter causas, in actu tamen secundo simul
cum reliquis causis causat, adeoque omni-
um eadem potest esse causalitas. Causalitas
finis respectu actuum à voluntate imperato-
rum, & ab aliis potentiis elicitorum est pro-
ductio horum actuum, quatenus procedit à
tali aut tali volitione imperante; hac enim
productione à tali voluntate imperata po-
sitâ, ne quidē divinitus, potest impediri, quò
minùs dicatur finis actu causare, sola autem
productio actuum externorum poni potest
V. G. à non cogitante, quin finis intelligatur
finalizare.

V. Si τὸ εὐ^τοιας gratiâ idem est, quod, cuius
amore & desiderio sunt cætera, sola impera-
tio à voluntate facta intellectui inquirendi
media,